

*vetinet industriam & reliquam ingenuam indolis Tuæ facultatem exoptatis saluberrimis honestorum Tuorum incæptuum successibus ac eventibus, efficiatque, ut semper reminiscen-  
tiam moralem & vitalem de perenni animi ac corporis prosperitate optima mentis delectatione recolere possis. Vale.  
Dab. Halæ Magdeb. IV. Calend. Maji A. O. R.*

CIDIOCCXLIII.

*PRAESTANTISSIMO DOCTISSIMOQUE*  
**DOMINO CANDIDATO**

S. P. D.

**D. IOANNES IVNCKERVS,**

Med. Prof. Publ. Ordin.

**Q***ui de morborum causis agere solent, recte quidem praecipunt, alias esse causas naturales, alias non-naturales, alias denique praeternaturales. Ad naturales morborum causas, praeter ipsam corporis in praecipitem corruptionem procliuatatem, sexum, aetatem & varia temperamentorum genera referunt. Causae morborum non-naturales, rerum, quas vocant, non-naturalium usu peruerso potissimum absoluuntur. Ex praeternaturalibus autem aliae in corpore ipso generantur; aliae vero extrinsecus eidem insinuantur, ut miasmata contagiosa, venena adsumta, aliaque fortuito deglutita, e. g. ossicula, spinae, vitri fragmenta &c. Sed omnes hae morborum causae, si ex rebus non-naturalibus animi pathemata excipias, tantum sunt materiales; dantur vero etiam causae morborum immateriales, ex labe originali potissimum oriundae, quo praeter sensuum externorum & internorum, ipsorumque animi pathemarum abusum, propensio naturæ*

I

ad